

tem horum studiorum, quotidie autem vrgerent me multi docti viri, subij ante sex annos hunc laborem: cuius magnitudinem etsi animo vtcunq; præmetiebar, tamen nunc ausim affirmare longè maiorem esse cuiusquam opinione. Et quòd potuerim hunc immensum laborem tam diu sustinere, atq; institutum opus ad exitum tandem perducere, agnosco solius Dei beneficium esse, qui vires tum ingenij, tum corporis ad eam rem benignè nobis suppeditauit. Pro quo beneficio mecum alij, quibus labor noster profuturus est, ipsi Deo fonti sapientiæ ac vitæ grati esse debent.

Fortassis aut eximij artifices collatis inter se obseruationibus aliquid in motibus æqualibus deinceps limare poterunt: sed prosthaphæreseon tabulas iudico & retrò & porrò ad totam mundi durationem vtiliter seruituras.

Ex his tabulis anni magnitudo adparens (per 12. præceptum) quouis tempore et maxima \odot . obliquitas (per 13. præceptum) supputari potest. Id hæcenus desideratum est.

Eclipses luminum hinc certius prædici possunt, quàm ex prioribus (*Alph. nis*) tabulis.

Etiam retrò supputari possunt tum motus omnium Planetarum, tum verò Eclipses, ita vt calculus consentiat cum historia obseruationum, præsertim ea, quæ apud Ptolemæum extat, à qua Alphonsinus calculus interdum satis procul recedit.

Et in parallaxibus adieci prioribus septem Climatibus alia item 7. loca versus Boream, atq; omnem supputationem accommodaui ad mediam \odot obliquitatem, quò rectius seruiant Canones parallaxeon omnibus ætatibus.

Postremò has nostras tabulas spero aditum facturas plurimis ad fontes ipsos apud Ptolemæum, & Copernicum penitus intelligendos: & accendentur nostro labore aliorum studia, vt cogitent porrò etiam de conseruatione huius artis, & emendatione motuum, præsertim æqualium, vt dixi.